Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25967
Copyright: Admont, Benediktinerstift

CONTINET hic liber tempus annorum ducentorum quinquaginta trium MENSIUM QUINQUE.

Incipit liber undecimus

PRIMO IMPERII ANNO regis persarum cyri septuagesimus concurrebat ex die quo populum contigit a propriis finibus ad babyloniam migrare. miseritus est captivitatis deus et illius calamitatis infelicium iudeorum. et sicut per hieremiam prophetam ante predixerat quam civitas everteretur post quam servierunt nabuchodonosor et nepotibus eius et hanc sustinuerint servitutem per annos fere .lxx. rursus eos ad propriam restituit terram. et templum reedificare et pristina frui felicitate decrevit. Concitans quidem animum cyri fecit per omnem asiam scribere. Cyrus rex hec dicit; quoniam me maximus orbis terrarum deus regem constituit. credo hunc esse quem gens israhel adorat. Is enim et meum predixit nomen per prophetas. quoniam templum eius edificaturus essem in ierosolimis in terra iudea.

Hec autem cognoverat cyrus legens librum quem inter suas predicationes ysaias reliquerat ante centum et .xl. annos. Sic enim in archano predicaverat dixisse dominum. quoniam volo cyrum quem multarum et magnarum gentium regem constitui mittere populum meum ad propriam terram et templum meum reconstruere. Hec ysaias predicaverat ante annos centum .xl. destructionis templi. scripturam impleret. Convocans autem clarissimos iudeorum qui babylonie habitabant. dixit se concedere ad propriam iudeos remeare provinciam et civitatem ierosolimam et templum dei reconstruere. se eos scilicet adiuvante. Tunc scripsit suis ducibus illius terre vicinis. ut aurum conferrent et argentum ad templi renovationem. insuper ad ymmolandum pecora. Hec cyrus cum israhelitis dixisset. egressi duarum tribuum principes iude ac benyamin una cum levitis et sacerdotibus ad ierosolimam pervenerunt.

Multi quoque residere babylonie. minime passi possessiones suas relinquere. Quo dum venissent. omnes amici regis adiuvabant eos et conferebant ad templi renovationem. alii aurum. alii argentum. quidam autem et equos ac iumentorum multitudinem et vota deo reddebant. et constitutas secundum veterem consuetudinem immolationes celebrabant tamquam creatam et antiquam religionis consuetudinem redivivam. Transmisit etiam cyrus vasa dei que auferens a templo nabuchodonosor ad babyloniam usque portaverat. que revehenda tradidit mitridati custodi suorum thesaurorum. precipiens ea dari servanda abassaro donec templum reedificaretur. perfecto autem eo traderet sacerdotibus et principibus vulgi reponenda in templo.

Direxit etiam epistolam cyrus syrie satrapis hec continentem. Rex cyrus sisinio et syrabasne salutem. Iudeos terram meam inhabitantes quicumque voluerint ad suam patriam redire permisi. et civitatem renovare templumque dei in ierosolima rursus edificare in eodem loco in quo prius fuerat constitutum. Misi autem et mitridatem est pecuniarum mearum custodem. et Zorobabel iudeorum principem. ut fundamenta restituant templumque recondant. cuius altitudo sit cubitorum sexaginta eorundem et latitudo. et faciant tres parietes lapideos ex lapide polito et unum parietem